



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita P. Balthassaris Alvarez, Societatis Iesv Religiosi

Puente, Luis de la

Coloniae Agrippinae, 1616

Cap. XLI. Occasiones huius tempestatis, & responsio ad difficultates contra
Orationem quietis & silentij propositas, & vtriusque exitus

urn:nbn:de:hbz:466:1-43347

CAPVT XLII.

OCCASIONES HVIVS TEMPE-
statis, & responsio ad difficultates con-
tra Orationem quietis & silentij
propositas, & utriusq;
exitus.



DEO magna est nostra miseris,
 & iniqua astucia Sathanae, do-
 norum Dei hostis, vt se in An-
 gelum lucis trãsfigaret ad nos
 decipiendos; accepta ex ipsis
 met donis occasione tentatio-
 nis, quã conaturea destruet.
 Sed quemadmodum suam ipse malitiam ostendit,
 malum ex tantis bonis deducendo: ita Deus
 D. N. infinitam suam bonitatem & Omnipotentiam
 ostendit, dum ex malis deducit bonas
 nam licet permittat aliquos indiscretos cum Ze-
 lo quidem, sed non secundum scientiam, abuti
 frequentia Sacramentorum, Oratione men-
 tis, & ipsa contemplatione: cum tamen id per-
 mittit, magnum aliquod bonum quarit, aut
 ipsorum, qui ita impingunt, sed postea se emen-
 dant; aut aliorum, qui cauti ex eo euadunt; & ex
 alienis erratis discunt, recte agere, & interdum
 ad exercendam & probandam humilitatem &
 patientiam Magistri, permittit errare discipulos
 quorum ignominia solet apud homines opinio-
 nem imminuere Magistri, quasi ignorantis disci-
 pulli

puli errorem aut excessum ipse approbet. Id itaque euenit Patri Balthassari Aluaro propter aliquos discipulos ex multis, quos habuit Ecclesiasticos & sæculares, dedentes se orationi: qui, contra ipsius Magistrimentem & intentionem, quædam faciebant, ac dicebant, quæ viris grauibus ac zelantibus occasionerant, non sentiendi bene de earatione orandi, quam illi sequebantur; ac proinde nec de ipso Magistro, cui eam illi tribuebant, quasi per os discipulorum ipse loqueretur.

HANC suspensionem auxit, quod aliqui ignorantes, aut parum prudentes contemnebant modum orandi mentaliter, per mentis ratioinationes, affectus, petitiones, & colloquia cum Deo D.N. quem Pater noster S. Ignatius in libro spiritualium suorum Exercitiorum docuerat; ac dicentes: huiusmodi Exercitia esse, quasi vehicula infantum; quæ non sunt ipsis vsui, nisi dum non possunt per se ipsos ambulare: nam statim atque id didicerunt, vehicula deserunt, & proprijs pedibus ambulant, euntes cum minori labore quocunque volunt; & Spiritum sanctum nolle alligari ad regulas & præcepta orandi; sed inspirare vbi, & quomodo vult; eiusque inspirationem sequendam esse cum libertate spiritus. Quare potius vt arrogantes, quàm experti, exigua suam ostendebant prudentiam & experientiam, volentes deducere omnes per eandem viam, quam ipsi tenebant: abducentes eos à communi & trita: qui erat manifestus error, ac deceptio contra mentem & sensum Patris Balthassaris, vt expressè hanc

hanc fraudem illi retexuit, qui ordinario orandi modo, quem per sexdecim annos tenuit, tribuebat beneficium à Deo sibi collatum, quo ad Extraordinarium exaltaretur; & hoc deficiente, recurrebat ad alterum, tanquam ad locum refugij. Cum ergo de hac re sermo increbresceret, vt de veritate decerneretur, statuerunt Superiores huius Prouinciae, vt sui & modi suae Orationis rationem redderet P. Generali Euerhardo Mercuriano, ad quem praedictus rumor iam peruenerat. Ipse vero promptissimè se ad id exhibens, secessit ad domum recreationis Collegij Salmaticensis, vbi tunc erat Rector, & colligens se per quindecim dies in oratione, & consideratione rerum suarum interitarum, scripsit relationem superius capite 13. positam, eò quòd tunc donum hoc caeleste illi contigerat.

SED aliae quoque difficultates contra eiusmodum Orationis sunt illi propositae, ortae, & acceptae (meo quidem iudicio) ex ijs, quae audierant, & viderant, non tam in ipsomet Patre Balthassare, quam in alijs ipsum sequentibus, sequentibus, tanquam eius discipulos gerentibus: iusserunt ergo, illum ad eas respondere. Cuius causa tractatum quendam confecit, in quo fusius ea, quae ad orationem quietis & silentij, vt vocant, pertinent, explicauit: quorum aliqua posuimus in capite 14. & sequentibus; alia hic subiiciemus, referentes responsa ad praecipuas difficultates illi propositas, vt

sequitur.

(*) (*)

§. I.

PRIMA difficultas est, quod in eo quiete Orationis modo, in qua anima nec meditat, nec ratiocinatur, videtur nihil fieri; sed amitti tempus, quod vtilius expenderetur in virtutum actionibus exercendis. Ad quam difficultatem respondetur: In eo orandi modo non solum nō pratermitti fieri aliquid; sed potius multum fieri: & vt S. Bernardus ait, hoc Officium esse negocium negotiorum; & operum maximum otii, de quo Dauid dixit, *vacate & videte, quā suauis est Dominus*; & S. Augustinus: otium Sanctum quærit charitas veritatis. Ex actibus autem, quos anima ibi facit, satis apparet, eam non otia: quamuis enim cessent intellectus discursus circa particularia mysteria: non tamen cessant affectus voluntatis in conspectu Dei, quem fidei oculi respicit; nunc enim reuerentiam ei exhibet, nunc admiratur ob ea, quæ Deus illi reuelat de se ipso ac suis perfectionibus; interdū gratias agit, interdū gaudet, quod illū videat, seq; in eius cōspectu: sicut homo aliquis manet corā alio, quē valdē amat, magnūq; sentit ex eo solatiū; aliās se ipsum, voluntatē omnē, & omnia sua eidē Deo offert; petitq; inprimis dari sibi se ipsum, deinde eius donat: nō vt in illis conquiescat, sed vt per ea tanquā per gradus ad ipsum conscendat; aliquando cor suum breuibus, imò nullis verbis aperit: Deus enim statim capit egeni necessitatem; si vel se coram ipso constituat, (sicut facit pauper collocans se coram diuite, nihil loquendo: eius enim necessitas & indigentia satis loquitur) exspectans Dei misericordiam

Hh

cordiam

*Ad Tract.**Monte Dei**Psal. 59. de**Ciuit Dei**cap. 19.*

cordiam cum plena suæ voluntatis resignatione: quamvis tali visitatione indignum se iudicet: aliàs denique se componit iuxta varios affectus, ac sensa, quæ Spiritus sancti vnctio suggerit, qui præcipuus est huius facultatis Magister, iuxta illud S. Dionysij ad S. Timotheum: *conuerte ad te radium.* ex quo admiranda illa vnio prouenire solet, quam idem sanctus *ignoti cum ignoto* appellat: quod est supremum mysticæ Theologiæ: quam vnionem, qui non est expertus, non satis poterit explicare, sed eam nunc insinuasse sufficiet.

SED hinc secunda oritur difficultas. quòd enim quis, meditatione prætermissa, expectet, donec Deus loquatur aut inspiret, aut aliquid reuellet, videtur quodammodo tentare Deum, & error affinis deceptioni Illuminatorum. Ad hoc respondetur: Orationem sine mentis discursibus, & per solos affectus, cum sit supremum culmen huius Exercitij, non inueniri in Tyroibus, nisi speciali Dei motione ad eam præueniantur; aut in ijs, qui longo tempore meditationibus se exercuerunt: ex quibus transeunt ad hunc Orationes quietæ modum, lumine, quod ipse Dominus communicauit, & adhuc communicat. Quare quod quis tunc absteat à rationationibus circa res particulares pertinentes ad ipsas Dei perfectiones, aut ad nostram reformationem, quæ alio tempore fieri potuerunt; non est censendus Deum tentare: vnumquodque enim exercitium exigit suum tempus; quemadmodum etiam in meditatione non semper est petitio, nec semper gratiarum actio. Cum igitur ad hunc orandi modum non perueniatur, nisi per Dei vocatio-

orationem: placet illi, ut vocatus, exercent se tunc temporis, non desiderandis, aut expectandis revelationibus; sed agnoscenda diuina eius presentia, & exercendis in eius conspectu prædictis affectibus. Nec ullam hoc cum Illuminatorum rebus affinitatem habet: illi enim omnia ex arrogantia & superbia faciebant; nec vocati à Deo, nec dispositi ac præparati, ut oportebat: ac propterea in illo Orationis modo Deum tentabant: nihil enim intelligebant; sed omnino distracti, tempus ibi consumebant, nec fructum vllum ad morum reformationem ex eo hauriebant. Modus autem hic Orationis ad contrarium omnino impellit; & nisi hoc adsit, non patet ad illum accessus; & qui illum aggreditur, nec tamen fructum percipit, non tolerat illum; potius à se repellit, ac, ut arrogantem, reprehendit: non enim potest cum tuta quiete, & absque reprehensione iustæ ante Deum comparere, qui eius spiritui repugnat: spiritui scilicet puritatis & sanctitatis, reformationis & subiectionis, quæ diuinæ voluntati debetur.

Sed statim occurrit tertia difficultas, eò quòd non sciatur, quando hæc via tenetur ex Dei vocatione, & non ex parua humilitate, & cupiditate iucunditatis ac dulcedinis Dei, qua etiam amor proprius alitur & fouetur: sed respondetur ex effectu tanquam vestigio quodam, quod modus hic orandi relinquit, agnosci, eum esse Dei: quemadmodum ex fructibus dignoscitur arbor. Nam modus hic quando rectus est, & à bono spiritu provenit, cor ipsum colligit ad Deum, mollefacit, subiecitq; eius ordinationi; illudq; impellit,

H h 2 vt re

vt re ipsa Deo tradat, quidquid ille petierit dese, suis delitijs, commodis, & honore: intelligens, quod, qui tantum obtinet, vt Deum sibi habeat amicum, valde multum acquirat: pro quo si dederit omnia quæ possidet, commodo satis precium acquisiuerit: nam qui dederit Deo quidquid ipse petierit: confidenter poterit ab eo petere, quod sibi maximè expedit; inclinatur quoque sic orantem, vt studeat assimilari exemplari perfectionis ipsius Christi Domini, nominatim in sui ipsius contemptu, & vniuersali propriarum voluntatum abnegatione, & fidelissima ipsius Dei voluntatis executione. Qui hos effectus & alios similes in Te ipso experietur, tutus esse potest, quod sit à Deo modus ille orationis, qui ad eos extimulat & impellit.

SE D statim locum habet quarta difficultas: apprehenditur enim, eos qui hanc viam tenent, occultè, & minimè id sentientes, aut cogitantes, inaniter extolli, præferentes se ordinariū meditandi modum tenentibus. Ex quo prouenit, vt pertinaciter modo illi adhærescant, nolentes subiicere se iudicio superiorum, suorumque directorum, quos vident contrarium sentire, quàm ipsi: quia se existimant spirituales, ac propterea se posse omnia iudicare, & à nemine debere iudicari. Sed facilè huic difficultati respondetur. Huiusmodi, & quoscunque alios defectus in tenentibus modum hunc orationis obseruatos, non ab ipso modo, sed ab imbecillitate, in dispositione, aut imperfectione ipsius orantis (qui corrigi & emendari debet) prouenire: non tamen propterea modum ipsum esse damnandum: Nam similes de-

fectus accidere solent vrentibus ratiocinatione,
 & interdum quidem maiores, nam & ibi facile o-
 ritur vanitas ex præclara aliqua in ratiocinando
 inuentione: non tamen propterea quod vnus aut
 plures abutantur aliquo mentalis orationis mo-
 do, ille censendus est malus, aut deserendus: nam
 tunc etiam ipsæ meditationes, & Sacramento-
 rum frequētia essent omittendæ propterea quod
 aliqui eis abutantur, aut potius propter defectus
 in earum vsu admissis. Ex quo fit, quod si Superio-
 res, aut qui tales orantes dirigunt, eum orandi
 modum prohiberent, illi censerentur rei, nisi tali
 prohibitioni parerent: Et tamen nisi probationis
 causa, non possent Superiores tuta conscientia
 talem prohibitionem facere: cum & ipsi tenean-
 tur animas per viam spiritus dirigere, per quam
 Deus illas ducit, & illi proficiunt, & multi san-
 ctitatem tenuerunt, ac tenent, vt prædictum est.
 Quam diu tamen Superiores id non prohibue-
 rint, non erunt illi rei, si eo modo vtantur: aut
 existiment, se posse iudicium ferre de rebus spi-
 ritualibus, quas ipsa experientia melius didice-
 runt; quàm qui talem experientiam non habent:
 quemadmodum non est damnandus Iurisperitus,
 propterea quod existimet, se melius posse iudiciū fer-
 re de rebus, quarum noticiam suo labore & studio
 comparauit, quàm qui tali studio nunquam incu-
 buit: neque est contra humilitatem Dei, quod quis
 eius dona agnoscat, vt ait Apostolus: *a nos non*^{a 1. Corint 2.}
spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui^{12.}
ex Deo est, vt sciamus, quæ à Deo donata sunt
nobis.

Ex his abundè satis fit quintæ difficultati,
 H h 3 quod

quod scilicet multi adeò se huic orandi modo tradant, vt quasi in continua sint ecclasi, obliu obligationum charitatis & Obedientiæ, & verè mortificationis, ac solidarum virtutum acquirendarum, solum contenti, quòd quasi versentur in nuptijs, indulgentes sibi dulcedine talis Orationis: ideoque rēto nomine spiritualium virorum, substantiam vitæ spiritualis non curant. Ex quo etiam prouenit, vt alij subtrahant se ab agendo cum proximis, & iuuandis animabus, vt semper sint suæ Orationi immerfi; ex qua, quòd non vtantur ratiocinatione, non eliciunt veritates, quas possint proximis, quibuscum agunt, proponere: quod totum repugnat ei Instituto, cuius scopus est, hac ratione proximos iuuare. Item alijs eundem orandi modum tenentibus vires corporis debilitantur, quæ essent ad satisfaciendum status & Officij sui obligationibus necessariæ.

Sed huiusmodi defectus verè ex ipso modo Orationis proueniunt, sed ex imprudentia, ac discretionis defectu eo modo vtentium: qui propterea corrigi debent & moneri. quòd si contenti sint eo solo, quòd sint intra se recollecti, non verò studeant mortificationi, alijsque virtutibus acquirendis: verè decipiantur; & nisi modum ponant, seque emendent, suspecta haberi poterit talis recollectio, nec diu in ea perdurabunt: quamuis, quòd aliqui sint defectus, non est tantopere mirandum: cum omnes aliquos habeant, etiam, qui benè aliàs habent. Ex quo fit, vt cum charitatis aut Obedientiæ, aut Officij necessitas exigit, vt agatur cum proximis: ipsamet contem-

platio tales exstimulet & ad id præstandum impellat, quemadmodum Sanctus Gregorius, & Sanctus Bernardus dicunt: & experientia ipsa docet in ijs, qui suam Orationem bene instituunt. Sed ubi non sunt eiusmodi necessitates, aut obligationes Obedientiæ, nec sanitas corporis læditur: non est malum Deo hoc modo Orationis vacare, iuxta regulam S. Augustini: otium sanctum quærit charitas veritatis; negocium iustum suscipit necessitas charitatis: quam sarcinam si nullus imponit, intuendæ vacandum est veritati. Quapropter poterit quis huic Orationis & contemplationis modo se tradere, postquam Obedientiæ & charitatis obligationibus satisfecerit; salva etiam corporis sanitate: nam si vires corporis debilitarentur, quòd eo uti nesciret; aut nimium illum continuant, aut ex capitis debilitate pergere non posset: meritò deberet à tali modo abstinere, etiamsi ipse modus ex se talem debilitatem non adferret: cùm aliàs minus hic defatiget ac debilitet, quàm ille, qui fit per mentis ratiocinationem. Ac propterea Sancti, qui hunc modum tenebant, diutius poterant in Oratione perdurare. Quod si in tali modo non plures habentur conceptus; acquiruntur tamen plures virtutes, quæ Deo magis placent: cuius auxilium tempore necessitatis experiuntur. nec illis nocet, non attendisse tunc, ut singulares conceptus inveni-
rent, quod alio tempore fieri potest; & præstat magnum feruorem & spiritum ex Oratione haurire, ut exprimere possint, quod aliàs senserunt ac perceperunt.

Hh 4

SEXTA

*In id Tob 7.
si dormiero,
dicam: quan-
do confur-
gam. Serm.
52 in Cant.
Lib. 19. de
Civitate Dei
cap. 19.*

SEXTA difficultas est, quod hic Orationis modus ita hominem ad se trahit, ut videatur omnis deuotio ad Sanctos, & antiquas receptasq; Orationes vocales euanescere: ideoque negligi petitionem rerum necessariarum pro Ecclesia, & rebus particularibus. Ad quod responderetur: hæc reuera non euanescere; sed potius pluris æstimari, tanquam media, per quæ tales peruenerunt ad id, quo magna quiete fruuntur. Et cum alij aptiores sint ad vocales Orationes, quàm ad mentalia exercitia; ideoq; eas suadent illis spirituales Magistri: ita alijè contra minus habent Orationis vocalis, quæ tanquam medium est ad internam deuotionem inflammandam. Ideoque S. Thomas ait: eam cum non est in præcepto, debere interrumpi ac cessare, quando animus iam sentit se inflammar: expedit enim obtento iam fine frui, non habendo multum in medijs. vnde videmus, multos viros prouectæ & excellentis virtutis non ad hære in Orationibus vocalibus, atque alios incipientes, aut ipsosmet, cum incipiebant: non quod eas spernant, aut parui faciant; sed quod ad corda sua ad Deum eleuanda, non multum opus habeant motiuis huiusmodi externis. Et de P. nostro Sancto Ignatio refertur in eius vita, quod non posset in Officio recitando progredi, propter copiosam, quam habebat cum Deo D. N. communicationem; & quod eius socij impetrauerint à Summo Pontifice dispensationem, ut intermittere illud possit, eò quod totam ferè diem in eo confunderet, hærens in singulis ferè verbis, ut uisitatio- ni Dei locum daret: & quam diu illud dicere ex obligatione tenebatur, necesse fuit ei satisfacere, etiam

2.2.98; a. 12

etiam si tota die in eo occuparetur: alioquin irreverentia fuisset, & ingratitude citò se ab eo expedire. Quare, ut aures Deo ipsi præberet, & internis sensis attenderet, vocalem orationem cum legitima facultate reliquit; non tamen mentalem; cui etiam non totum tempus impendebat, ut alijs quoque obligationibus satisfaceret. Nec tamen in hoc Orationis modo omittuntur Petitiones; sed potius non petendo, occulto quodam modo plus petitur; quia eo tempore occupatur orans in re magis Deo grata; ac proinde melius impetratur quod petitur, quia dantis Domini voluntas magis ad dandum allicitur. Et cum Deo notæ sint illæ necessitates, & animus serui sui, earum reparationem optantis, nec tamen expressè tunc petentis, ut totus in eo, quod ipsi placet, occupetur; ac divinæ eius providentiæ confidens, curat eis tanquam ad se pertinentibus in tempore prospicere: quemadmodum solent Domini, fidelem aliquem famulum habentes, qui magno cum amore ipsis seruit, attendere ut etiam ipso non petente, eius, & ad ipsum spectantium necessitatibus subueniant: maximè cum ad aliquid expressè petendum alia sint tempora; illud verò non fit aptum ad expressam petitionem. Siquidem spirituales Magistri communiter dicunt: quando Deus cum benedictionibus dulcedinis aliquem præuenit, excipiendam talem visitationem cum humilitate: nec ad alios conceptus, aut affectus diversos diuertendum, etiam si in specie boni esse videantur: hostis enim semper conatur nos decipere, & ijs, quæ nobis dantur, defraudare; aut ipsa nostra ignorantia eisdem nos spoliabit, sub præ-

textu gratias tunc agendi, aut magna quaedam pro
hoc vel illo petendi : quod licet in se bonum sit,
non tamen expedit eo tempore fieri, quo Deus
vocat & impellit ad aliud.

§. II.

SEPTIMA difficultas est, quod hic orandi
modus videatur hominem retrahere à com-
muni Institutione circa modum orandi, quem
P. noster S. Ignatius tradidit, Doctoresque com-
muniter commendant ; ac proinde diuisionem
quandam inter eiusdem communitatis homines
efficit, his hanc viam, illis illam tenentibus. Sed
facilis est ad hanc difficultatem responsio, dici-
mus enim: hunc modum potius fauere communi-
nam, cum Dominus noster speciali sua inspira-
tione ad hunc non impellit, à communi inchoan-
dum est, à quo alter hic modus oritur: medita-
te enim meditatione quies obtinetur contem-
plationis. Et author Exercitiorum ex speciali gra-
tia ab eis ascendit ad hunc modum, cum de
eo dicatur: potius se habebat *passiue* fru-
endo sibi oblati; quam *actiue* quærendo per
ratiocinationem, vt aliquid inueniat: quia
iam tunc quiescebat, quasi qui ambulando ad
terminum peruenisset. Quamuis autem com-
munis orandi modus debeat ordinariè omnibus
proponi: si tamen Dominus noster aliquem sta-
tim in initio ex speciali fauore collocaet in or-
tatione quietis, debet ea via iuuari: & eadem
ratione ijs, qui per aliquot annos in ratiocinatio-
nibus & meditationibus sunt versati, beneque prof-

profecerunt; & ad hunc orandi modum cum interna quiete, & in Dei conspectu, & per modum contemplationis sunt bene dispositi, licebit consulere, non quidem, ut meditationes omnino deserant; sed, ut sensim remittant aliquid de ratiocinatione, addant verò plus aliquid de affectu: quasi satis de ratiocinationibus habentes, affectus illos in se excitent, quos superius retulimus. Et hoc est quod Pater noster Sanctus Ignatius dixit in Additionibus suorum exercitiorum: ut in quo puncto quæsitam deuotionem inuenimus, in eo hæreamus absque anxietate ulterius progrediendi, donec nobis satisfecerimus. Et idem consilium ei dari potest, qui ex imbecillitate, aut ex alia causa non potest rectè longas habere ratiocinationes: ita tamen, ut in omnibus sequatur iudicium eius, qui in hac causa iudex esse potest: cuius dictamen prudentiæ, & regulis superius positæ innixum, accipi potest pro sufficienti Dei vocationis & voluntatis indicio: qui solet tales adiuuare, & quando minimè cogitabunt eos ad contemplationis quietem exaltare. Neque hoc est diuisionem facere in communitate: nam modus orandi per affectus cum exigua ratiocinatione in genere, est multorum; cuius quod maximè est perfectum, est paucorum: semper enim perfectio inuenitur in paucis: & utinam essent multi, ut torpentes excitarent: quare ambulare hoc modo per viam particularem non nocet; Deus enim non confert valde

valde particularia dona ijs, qui via vitæque communi sunt contenti.

HÆC est summa & substantia eorum, quæ P. Balthassaris tractatus continebat: ad cuius finem hæc verba adiecit, ad P. Visitatorem huius Provinciae, ad quem illum dirigebat, hoc mihi occurrit respondendam V. R. circa hunc orandi modum: per amorem Dei (cui V. R. placere desiderat) illud videat, ac examinet; mihi quæ & reliquis huius Provinciae, quorum iudicium & consilium requirent ijs, qui videbuntur à Deo per hanc viam duci, præscribat, quid accipere, & quid omittere debeamus: per hoc enim medium ex ipsius bonitate spero, iudicium nobis & illis daturum sanctæ voluntatis.

EXITVS huius tempestatis, quod ad ipsum P. Balthassarem eiusque modum Orationis fecerit fuit & prosper: nam cum hæc causa esset à Superioribus alijsque viris grauibus examinata, solebat Dominus noster humiles, exaltare, eorumque tueri honorem, quem ipsi tacentes & sustinentes ob diuinum eius obsequium periculis exponunt, ita rem direxit, vt eius innocentia & veritas omnibus innotesceret: non solum ob ea quæ in suis relationibus dixit: sed multò magis ob heroicam humilitatem & patientiam, quam in hac occasione ostendit. quæ virtutes magnum præbent testimonium innocentiae patientis: bona enim conscientia, quæ tuta & secûra est coram Deo, magnam adferunt animi fortitudinem, pacem, & quietem, in ipsa quæ ab hominibus patitur. Et ipsemet modus quo in sui reddenda ratione usus est, adeò fuit

humilis, ac subiectus, ut admirationem Superioribus attulerit. Quare ipse Pater Visitator Iacobus Auellanedius, videns hominis demissionem & subiectionem, quâ ipsi tradiderat sua scripta examinanda, & quibus ad ea quæ ipse interrogauerat responderat, dixit: nihil sibi tantam attulisse admirationem, & ædificationem in hac Prouincia, atque P. Balthassar's animi demissionem & candorem in agendo; & Pater Generalis Euerhardus Mercurianus, licet non approbauerit, quod hic orandi modus ita communiter spargeretur, ideoque generalitatem illam moderatus sit (ut paulò post videbimus) magnam tamen opinionem & æstimationem de Patre ipso Balthassare concepit; eumque ad duo officia vnum post alterum maximi honoris & momenti, quæ Societas habet in Hispania, promouit, ut inferius dicitur. Eadem hæc tempestas siue tribulatio fecit eum magis innotescere; (cum aliàs ex eadem putaretur magis humiliandus & confundendus) & accelerare in cursu, qui non erat diuturnus futurus: ut gloriosior esset eius corona.



CAPVT